



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Methodus Clara Et Facilis Vacandi Orationi mentali Atque Exercendi se cum fructu in præsentia Dei**

**Coloniæ Agrippinæ, 1687**

Caput VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46004](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46004)

7. Tandem reflexiones elicies & resolutiones necessarias, ad fructum concupitum ex istis considerationibus percipiendum accommodas.

*Beati immaculati in via. tanquam si diceret, si vis esse beatus, esto immaculatus. D. Aug.*

Quantum ad ea, quæ de quatuor novissimis dicta sunt, adiri poterit Catechismus noster in quo abundantissimam meditationis materiam quis inveniet.

CAPUT IIX.

*De aliis meditationum materiis proficientium propriis.*

**D**iximus jam superius proficientibus ordinariè meditandum esse de virtutibus, de vita, miraculis & passione Salvatoris nostri, de sanctissimo Sacramento, de vita B. Virginis, de exemplis Sanctorum, de votis ac regulis Religionis, de sententiis sacræ Scripturæ, & aliis similibus argumentis illorum intellectui in via Dei magis magisque illuminando accommodas.

*I. Consideratio de virtute in genere.*

**S**I quis igitur meditari voluerit de virtute in genere, considerabit

1. Illius naturam, putà quod sit sanctus quidam habitus, excellens qualitas, certum ornamentum, perfectio & decor animæ, eos, qui illam possederint, felices reddens, atque ad bene operandum disponens.

2. Causas illius. Est enim excellens quædam participatio & imitatio alicujus perfectionis Dei, nobilissimusq; gratiæ Spiritus sancti in animabus nostris relictus effectus.

*Causa.*  
 1. Exemplaris.  
 2. Efficiens.  
*Qui deficit sibi, ut virtuti adhareat, amittit quod suū ost. accipit quod æternum est.*  
 D. Amb.

3. Proprietates illius & effectus, putà quod Deo nos reddat gratiores, atque, ut ipsi ad orationem præsentemur, digniores, magisque ad vitium oppositum expugnandum expeditos, quod nostrum hic in terris adaugeat meritum, gloriamque in cœlis.

*Mens non potest habere regnū virtutum, nisi excuserit regnū vitiorum.*

*D. Aug.*

4. Finem, quem spectat, scilicet ut illius beneficio minuatur & penitus extirpetur naturalis illa repugnantia, quâ abhorremus à bono; & destruantur quas experimur inclinationes in malum.

5. Posthac si quis meditari voluerit de virtute aliqua in particulari, illius poterit considerare pulchritudinem atque excellentiam ex oppositione turpitudinis ac deformitatis vitii contrarii: poterit & seipsum ad illius amorem excitare aliquo illius exemplo nobis à Christo Domino, B. Virgine, aut sancto quodam relicto.

6. Tandem postquam supra seipsum se reflexerit, videritque quantum in virtute illa siue profecerit, siue defecerit, illi studere amplius in posterum statuet, hujusque propositi sui efficaciter exequendi media sibi proponet. Exemplum subjicimus.

2. *Consideratio virtutis alicujus in particulari.*

**M**ansuetudo materiam suggeret atque aliarum omnium erit exemplum. Considerabis igitur

1. Illius naturam, putà, quod sit tranquilla quædam ac pacis plena animi æqualitas, quæ nullis injuriis aut offensis turbatur. Quòd sit

cor

cor expers omnis amaritudinis, quod in medio injuriarum est sicuti *homo non audiens & non habens in ore suo redargutiones.* Ps. 37. 15.

2. Causam illius effectivam, quæ est contemptus sui ipsius, quisquis enim est verè humilis, hic etiam mitis est & mansuetus.

3. Illius proprietates sunt, nimiam audaciam aliorum offensionem obnoxiam reprimere, nunquam cogitare nisi cogitationes pacis, reddere pro malo bonum &c.

4. Illius effectus sunt, nos semper reddere tranquillos, lætos & ad loquendum de Deo paratos; imò & nos reddere omnibus hominibus gratos & amabiles &c.

5. Finis illius est, nobis obtinere possessionem terræ viventium, juxta illam Salvatoris nostri sententiam: *Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* Matth. 5. 4.

6. Quod si cum opposita comparetur iracundia, eò apparebit illa jucundior, gratior & amabilior, quò vitium istud est ingratius & horribilius.

7. Excellentissimè virtus ista emineat in Salvatore nostro, Agno ab Isaia Propheta assimilato: *Sicut ovis ad occisionem ducetur & quasi agnus coram tondente se non aperiet os suum.* Et Apostolus Petrus dicit: *Quod cum malediceretur, non maledicebat, cum patere-* Isa. 53. 7. 1. Petr. 2. 25.

8. Tandem supra te ipsum, & supra vitam tuam te reflectes, ut intelligas, quantum hucusq; à perfecta virtutis illius possessione abfueris, simulq; considerabis, in quibus imposteriorum occasionibus virtutis illius praxi amplius possis studere.

E 4      3. Con-

3. *Considerationes de actionibus, dictis, & doloribus Salvatoris nostri.*

**T**Ota Salvatoris nostri vita ad tria potissimum capita reduci potest: Scilicet ea *qua dixit, qua fecit, & qua passus est.* *Multa dixit, mira fecit, dura passus est,* inquit S. Bernardus. Tres istæ considerationes tria possunt meditationis puncta constituere. Verùm cum illæ nimis sint generales, satius erit quolibet ex iis, quæ dixit, fecit aut passus est, seorsim ac sigillatim expendere, idque ab ipso inchoando mysterio Incarnationis, atque usque ad gloriosam ejus Ascensionem continuando. Considerando videlicet vitam illius pauperem, humilem ac pœnosam, actiones ejus heroicas, zelum, quem, habuit salutis animarum nostrarum, miraculosas morborum curationes, contemptus, actandem mortem contumeliosam, quæ omnia pulcherrima in se comprehendunt documenta, quæ propriâ quivis consideratione evolvat. Verùm in quolibet ex hisce punctis quivis poterit considerare

1. Quis sit ille, qui dicit, facit, aut patitur ista? Est videlicet Filius Dei.

2. Pro quibus dicit, facit, aut patitur talia? pro hominibus peccatoribus & ingratis.

3. Quo fine? ob nostram salutem, & ad nostram eruditionem ex illius dictis hauriendam & exemplis,

4. Quo cordis sui affectu talia dixit, fecit, aut passus est.

5. Qua gratia, suavitate, humilitate atque exteriori modestia.

6. Alias

6. Alias loci; temporis & personarum circumstantias.

7. Considerare exinde quis poterit fructum, quem ex istis percipere debeat, simulque ad illum amplectendum resolvet.

4. *Considerationes de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.*

I. **C**ONSIDERABIS historiam, ac seriem Institutionis illius.

2. **C**AUSAS istius institutionis. Illud etenim Salvator noster instituit. 1. Ut esset nobis sanctissimæ passionis suæ rememorativum. 2. Ut suum erga nos testaretur amorem. 3. Ut nobis esset sacrificium. 4. Ut esset pignus æternæ gloriæ. 5. Ut esset animarum nostrarum cibus & c.

3. **M**IRACULA, quæ in ipso reperiuntur. 1. Quod panis & vinum esse desinant eodem, quo sacerdos verba consecrationis protulerit momento. 2. Corpus Christi Domini, quod in cælo habet debitam extensionem, hic est quasi contractum ad quantitatem exiguæ hostiæ. 3. Ipsum non dividitur, etsi hostia frangatur. 4. Eodem tempore in pluribus Ecclesiis diversisque reperitur altaribus. 5. Quilibet ipsum manducat, neque tamen diminuitur. Atque omnia hæc miracula non operatur, nisi ut miseram invisat animam, quo satis commonstrat, quantum amet, quantique faciat salutem nostram, pro qua tanta operatur.

4. Effectus, quos divinum hocce sacramentum producit. Quia 1. ultra gratiam sanctificantem quam confert. 2. Replet consolatione cœlesti omnes illos, qui ipsum devotè recipiunt. 3. Loquens nobis ad cor, illuminat intellectum nostrum lumine suarum cœlestium veritatum. 4. Voluntatem nostram animat & excitat. 5. Et quasi ex superabundanti gratia ipsis corporibus nostris puritatem omnino confert singularem.

5. Considerare etiam poteris & expendere Antiphonas, hymnos, psalmos, versus, aut sententias, quæ hocce Augustissimum Sacramentum tangunt, idque eo modo, qui inferius exponetur.

6. Pro sacra communione etiam considerare poteris, quis sit, qui venit. 2. ad quem. 3. quare. 4. quomodo veniat. Omnes etenim considerationes istæ excitabunt te, ut illum expectes cum desiderio. 2. ut illum recipias cum puritate, humilitate, reverentia, ac magno charitatis affectu. 3. ut humiles ei reddas actiones gratiarum, omninoque statuas impostum nihil admittere in conscientia tua, quod illam possit inquinare, aut tantum hospitem tuum ullatenus offendere.

5. *Methodus meditandi vitam, & virtutes B. V. Mariae.*

4. **M**editari poteris vitam *Beatissime Virginis Mariae*, sicut vitam Christi Domini Salvatoris nostri, argumentum tuarum meditationum desumendo ex omnibus illius festivitatis, quas toto anni circulo peragere solet

solet S. Ecclesia, ab immaculata ipsius Conceptione usque ad gloriosam in cœlos Assumptionem, aut certo quodam ordine singulas illius considerando virtutes, aut denique expendendo Antiphonas, hymnos, Litanias, aut alias in honorem illius conscriptas sententias. Deinde reflecte te supra te ipsum, considerabisque quàm parùm tu imiteris hanc purissimam & sacratissimam Virginem, maximamque concipies confusionem, quod illius vestiaris habitu, illiusque glorieris te in ordine vivere, cujus vitæ tamen adeò parùm studueris hactenus vitam tuam conformare. Examina- bis deinde causas, cur illam adeò parùm imitatus hactenus fueris, omninoque propones illius imitationi ferventius studere, & media ad id faciendum inquires, atque illa adhibere statues.

6. *Considerationes super vita alicujus Sancti.*

1. **C**onsiderare poteris insigniores illius virtutes, quas in hac vita exercuit.
2. Fidelitatem in mortificando semetipso, & in gratiæ divinæ correspondendo.
3. Quantum Deo ob insignia hæc exercitia placuerit.
4. Ingentia illa merita, quæ sibi in hoc mundo acquisivit, atque etiam amplissimam illam gloriam, quam obtinet modò in cœlis in suarum mortificationum atque operum bonorum remunerationem.
5. Quantum apud Deum valeat precibus suis & intercessionibus.

6. Dein-



6. Deinde reflectes supra teipsum, & proposita convenientia concipies. Poteris etiam (& quidem multò melius) particularem aliquam illius virtutem, aut aliquod ex illius exemplis, atque illud considerare eo modo, quo diximus cap. 6. ubi ostendimus quomodo in materiis intellectualibus dilatare te debeas.

7. *Considerationes super votis & Regulis Religionis.*

*De votis.* **M**odus meditandi de votis est omninò similis modo, quo quis meditari debet super aliqua virtute, adjungendo duntaxat strictas illas obligationes, quas habemus illa integrè & perfectè servandi. Verùm super *Regula, Constitutionibus & sanctis Religionis praxibus* considerabis:

*Puncta meditationis circa Regulam alicujus Religionis, Pro Christo legatione fungimur.*

2. Cor. 5.

20

1. Cor. 7.

10.

1. Illas non esse nobis præscriptas ab hominibus, sed ab ipso Deo, cujus hac in parte homines fuere vicarii, dicente Salvatore nostro: *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Apostolus etiam primis Christianis aliquid præcipiens inquebat: *Præcipio non ego, sed Dominus.*

2. Illas esse efficacia media à Deo ad nostram prædestinationem ordinata, sine quibus periculum manifestum incurrimus in graviora vitia prolabendi, arque ita salutis nostræ discrimen adeundi.

3. Illas esse æstimatas, honoratas & ad amissim observatas à pluribus Ordinis nostri magnis sanctis, qui etiam illarum beneficio & observantiâ sanctitatem amplissimam sunt consecuti.

4. Dei

4. Dei illas nobis præscribentis intentionem pariter fuisse, ut nos sancti evaderemus.

5. Quantum animabus nostris illæ conferant emolumentum, omnes imperfectionum quarumvis occasiones præscindendo, & in nobis vices quasi quorundam obeundo repagulorum, quibus violenti naturæ nostræ impetus cohibeantur, atque intra suos limites coerceantur.

6. Considerabis denique, quanti illas hactenus æstimaveris, & num illas fideliter observaveris. posteaque propones illarum observantiæ inviolabiliter atque immobiliter deinceps insistere.

8. *Considerationes super sententiis  
sacra Scriptura.*

**S**I cupis meditari super *sacra Scriptura*, aliquas oportet ex illa tibi seligas sententias, quas deinde de verbo ad verbum expendes, tantumque cuilibet insistes, quantum affectus invenies, quolibet in puncto supra teipsum reflectens, ut intelligas, quid inde elicere possis spiritualis emolumentum.

Quòd si tamen modum hoc in argumento te dilatandi nosse cupias. Considerabis

1. Quis ille sit, qui hancce veritatem edixit.

2. Quo fine, sensu & affectu illam pronuntiaverit.

3. Quomodo illam ipse prius in praxin redegerit.

4. Quid à nobis exigat Deus consequenter ad veritatis istius cognitionem.

5. Quale

5. Quale hac in re exemplum nobis dereliquerint sancti, & quem inde fructum modò in æterna felicitate percipiant.

6. Quomodo tu hætenus veritatis illius praxi studueris, & quid in posterum facere debeas.

7. Firmo concipies proposito inde fructum illum eliciendi, quem Deum à te requirere hac in veritate cognovisti.

9. *Considerationes de Beneficiis Dei.*

**S**I meditari volueris de *Dei* in te *beneficiis*, illa accipere poteris vel omnia simul, vel unum post aliud, aut unam cujuslibet partem, ut tibi suppeditet meditationis materiam. Ex istis verò aliqua omnibus omninò hominibus sunt communia, ut Creatio, Conservatio, & Redemptio: alia communia quidem sunt pluribus, sed non omnibus, ut vocatio ad Fidem & justificatio, alia sunt paucis personis peculiaria, ut vocatio ad Religionem, ac demum veræ pœnitentiæ & conversionis gratia: atque alia denique sunt cuilibet singularia, ut quod natus quis sit bonis ac virtuosis parentibus, quod sit bonæ indolis, propensus ad virtutes, bene in sua tenera ætate educatus & instructus, à certo quodam ereptus periculo, quod plures receperit interiores Spiritus sancti inspirationes, quod aliquando gratis illius tenerè quasi fuerit affectus, quod ab ordinariis mundi dissolutionibus ac vitiis fuerit præservatus, aut certè ab illis misericorditer revocatus, & similia. De quolibet igitur beneficio considerare poteris:

I. Quan-

1. Quantum illud sit.
2. Quis sit ille, à quo ipsum processit?
3. Quid illum ad ipsum tibi conferendum potuerit permovere.
4. Quo fine, quave illud intentione tibi concesserit.
5. Quis tu, cui ille benefecit.
6. Quantum illi idcirco debeas.
7. Quam haectenus ei ingratus extiteris, beneficium non recognoscens, aut nullum ex illo fructum percipere contendens.
8. Quid imposterum facere debeas.
9. Bona concipies proposita praecedenti meditationi conformia.

10. *Considerationes super attributis  
divinis.*

**D**E attributis seu perfectionibus Dei, exempli gratia, illius potentiâ, sapientiâ, misericordiâ, justitiâ, sanctitate, providentiâ & similibus considerabis

1. Excellentiam infinitam perfectionis illius in seipsa spectatae.
2. Signa illius, quæ Deus ipse exhibet creaturis.
3. Exempla illius, quæ nobis exhibet sacra Scriptura.
4. Qua in re nos ei nos possumus conformare.
5. Quantum in hoc defeceris haectenus, & quid tibi deinceps sit faciendum.

Ecce ea omnia, quæ proposueramus circa secundam orationis partem, quæ est meditatio. Tertiam jam auspicabimur, quæ sita est in affe-

affectibus ; dubia verò & difficultates , quæ circa ea , quæ diximus jam , moveri possent, deinceps resolvemus.

## CAPUT IX.

*De Affectibus.*

**S**uperius diximus , omnem orationis fructum consistere in affectibus , illosque esse scopum, ad quem nostra omnis contendere debet meditatio. Parum enim nobis serviet, si de Deo ac rebus spiritualibus multas habeamus insignes cognitiones & conceptus, neque tamen cor nostrum illorum amore sit inflammatum. Et sicut parum proficeret pauperi, si ingentem aliquam videret thesaurum, neque tamen possideret : aut famelico si videret mensam opiparis instructam ferculis, neque tamen inde comederet, ita profectò parum tibi conferret emolumentum, quod oculis tui intellectus videres spirituales veritates, nisi etiam inde gustum aliquem interiorum persentisceres, & affectu ac desiderio quodam ardenti ad illas contenderes. Verùm tamen is, qui thesaurum corporeum desiderat, non propterea illum statim possidet : affectus attamen ac desiderium rerum spiritualium adeo illas nobis appropriat, ut ex illis fructum omnem desideratum percipiamus. Nihilominus invenire est quædam ingenia curiosa, quæ nunquam finem suis imponunt meditationibus, & nullum aut certè valdè exiguum tempus permittunt voluntati, ut suos illa eliciat affectus, ac propterea hujusmodi